

scaenis praesens vita dissimilis. Nam ut illic ille imperatoris, hic iudicis, alter et militis implet officium, ubi autem consecuta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerat iudex videtur, nec miles postea qui
15 fuerat miles. Ita unusquisque nostrum in illius saeculi die non personis sed rebus atque actibus competentem accipiet dignitatem. Haec ergo gloria iudicanda est quae sic ab homine defluit, ut cadere sermo divinus florem dixit a foeno. Sed divitiarum pompa laudanda est, quas hi qui
20 possident miserabiles iudicantur. « Vae enim, inquit, divitibus. » Et alibi: « Vae his qui confidunt in virtute sua et in abundantia divitiarum suarum gloriuntur. » Christianus autem nec privatus a iudice, nec pauper ex divite, nec ex glorioso esse inglorius potest, sed opibus semper exuberat,
25 et fit egendo locupletior, ac tunc maxime supra omnes esse incipit, cum se inferiorem omnibus facit; et ex dignitate qua regit non homines sed mundi istius potestates, ipsumque qui saecularium tenebrarum obtinet principatum, nullus eundem destruere potest. Bonum quidem
30 nuptiae. Et ispe confiteor. « Honorabiles, inquit, nuptiae et cubile immaculatum. Scortatores autem et adulteros iudicabit Deus. » Sed etiam servare non convenit privilegia nuptiarum. Divini enim societate consortii semel vinctum, illum relinquere et uxoris laqueis implicari
35 cari adulterii crimen incurrere est; quamvis hoc ipsum frequenter nuptias voces, ego tamen et adulterio illud